



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

Bulla 41. Clementis VIII. Institutio Congregationis super Baronibus Status Ecclesiastici, cum iurisdictione eorum castra & bona etiam fideicommissis subiecta distrahendi pro satisfactione suorum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

potentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum.

Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo primo, nono Kal. Iunij, Pontificatus nostri Anno 1.

Publicatio.

Anno à natiuitate Domini 1591. indict. 4. die vero 28. mensis Maij, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIV. anno eius 1. retroscripta litera Apostolica affixa, & publicata fuerunt in valuis Basilicarum Principis Apostolorum de Vrbe, & S. Ioannis Lateranensis, necnon Cancellaria Apostolica, & in acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Caterinum Menandri, & Nicolæum Dringy Curs.

Pompeiu Guerra Mag. Curs.

CLEMENTIS VIII. B. XLI.

Institutio Congregationis super Baronibus Status Ecclesiastici, cum iurisdictione eorum Castra & bona etiam fideicommissis subiecta distrahendi pro satisfactione suorum creditorum.

Quod autem Barones isti teneantur eorum vassallos ab obligationibus pro eis contractis liberare, iussit Pius IV. in cons. 18. Quia, fol. 2. lib. 2. ubi notauit.

CLEMENS EPISCOPVS,

Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Iustitiæ ratio, & publicæ fidei causa postulat, vt eorum, qui pecunias nostris & S. R. E. subditis crediderunt, seu quibus aliquid ab eisdem, quauis occasione vel causa debetur, indemnitati pro munere nostro, opportuno remedio consulamus.

Causa huius Constit.

§. 1. Cum igitur multorum querelis iamdiu ad nos perlatum sit, & quotidianis expositulationibus perferatur, nonnullos Barones & Domicellos, nostros & S. R. E. subditos, tam in Vrbe, eiusque districtu, quam in vniuerso statu nostro Ecclesiastico existentes, contracto variis de causis ære alieno, nullam prorsus inire rationem illud dissoluendi, immo nec annuas fructuum præstationes idcirco debitas, maximo creditorum incommodo persolvere, ipsosque adeo creditores, dum eorum credita à dictis Baronibus, & Domicellis exigere conantur, magnos sumptus facere, & variis litibus implicari, & nihilominus credita ipsa nullo modo consequi posse, fideiussores etiam, qui pro eisdem Baronibus & Domicellis sese, & bona sua quoquo modo obligarunt, ab eorum obligationibus minimè posse liberari. Præterea, licet aliàs ad eorumdem Baronum & Domicellorum res aliquo pacto subleuandas, à nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, ac etiam forsitan à nobis, ex speciali gratia concessa fuerit facultas quosdam pecuniarum Montes super eorum Ciuitatibus, Terris, Castris, Casalibus, & aliis bonis stabilibus, ad diuersas summas ascendentes erigendi cum obligatione etiam per ipsos Barones facta fructus hoc nomine singulis annis commentos soluendi, ac certis modo, & forma Montes erectos intra præscriptum tempus extinguendi, eos tamen qui pecunias in dictis Montibus posuerunt, hæcenus annuas fructuum præstationes à nonnullis ex dictis Baronibus, & Domicellis consequi non potuisse, neque adhuc posse, ac præterea aliquos etiam Barones & Do-

micellos, eosdem Montes, vel eorum partem, iuxta eorum obligationem, statuto tempore non extinxisse, nec forsitan vterius de illorum extinctione cogitare, quo fit, vt iidem creditores sub fide publica hæcenus magno detrimento affecti fuerint, & in dies magis ac magis afficiantur.

Institutio Congregationis pro satisfactione creditorum cuiuscumque Baronis, his modis, videlicet.

§. 2. Nos hisce malis pro officij nostri munere occurrere, & debita supradictorum creditorum (inter quos plerique pauperes, complures etiam pupilli, & viduæ sunt) satisfactioni expedita aliqua ratione providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, dilectum filium nostrum Bartholomeum Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem Cesium nuncuparum, necnon dilectos filios Tiberium Cerasium Camera Apostolicæ Clericum, Paulum Coperchium Fisei, & dictæ Camera Advocatum, Paulum Emiliū Zacchiam eiusdem Camera Commissarium generalem, ac Rodolphum Bonifolium Senatorem Bononiensem ad infra scripta omnia, & singula faciendā, Apostolica auctoritate, tenore præsentium constituimus, assumimus, & deputamus, ac eisdem liberam, amplam, & plenam facultatem & auctoritatem concedimus, & impartimur, vt coniunctim omnes, seu saltem idem Bartholomeus Cardinalis, & maior ipsorum pars omnibus, & singulis, tam instrumentariis, siue hypothecariis, quam chirographariis, ac etiam legatariis, & ratione mercedis, cibariorum, & vestiarij, seu alijs quouis modo priuilegiatis, vel mercium, siue aliarum rerum occasione, aut etiam ex causa fideiussorum, pro eisdem Baronibus seu Domicellis, ac pro qualibet summa & quantitate quorumcumque Principum, Ducum, Marchionum, & Comitum, aliorumque Baronum, & Domicellorum nostrorum, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subditorum, in Vrbe, eiusque districtu, & in vniuerso statu nostro Ecclesiastico existentium, cuiuscumque status, gradus, conditionis, & ordinis fuerint, etiam si dignitate quacumque Ecclesiastica, etiam Cardinalatus honore præfulgeant, aut ipsorum parentum, seu antecessorum, vel auctorum quorumcumque creditoribus, etiam si eorum vassalli & subditi, aut alij quicumque fuerint, qui de ipsorum creditis, ex quauis causa, & ad quamcumque summam, vt præfertur, ascendentes, per mandata executiua à quibusvis Iudicibus Vrbs, aut alterius loci Status prædicti decreta & relaxata docuerint, ipsaque mandata exhibuerint, quamprimum absque vlla dilatione, non obstantibus quibuscumque inhibitionibus, dilationibus, superfluatoris in forma *Non grauetur*, aut alijs quomodolibet ab iisdemmet, vel alijs Iudicibus, aut etiam forsitan à nobis, siue de ordine ac mandato nostro emanatis, & emanandis, quas omnes, & singulas ex nunc auctoritate præsentium renouamus, annullamus, & irritamus, infra scriptis modis & formis satisfieri curent & mandent, & cum effectu faciant, videlicet.

Exhibitis à creditoribus mandatis executiuis per Iudices relaxatis contra Barones, Congregatio illa exequi faciat, absque alia citatione super quibuscumque eorum bonis & castris nomine Camera Apostolicæ ad commodum creditorum, & statim cesset Baronum iurisdiclio, & eorum exercitium.

§. 3. Prædictorum Deputatorum Congregatio, exhibitis prædictis, absque alia citatione, & tela iudiciali, & sine vlla causæ cognitione, super veritate crediti, vel discussione iustitiæ, aut nullitatis mandatorum relaxatorum, tanquam meri, & puri executores, & propria auctoritate, & mandato, & sine vitio spolijs attentatorum

tentatorum, aut nullitaris, omnium & quarumcunque Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, Casalium, Palatiorum, & aliorum bonorum immobilium, tam in vrbe eiusque districtu, quam alibi vbiicumque in nostro Statu Ecclesiastico existentium, ad ipsos Principes, Duces, Marchiones, Comites, vel Barones aut Domicellos quoscumque, contra quos, vel eorum auctores, parentes, & quosvis antecessores, seu hereditaria eorum bona quacumque mandata huiusmodi ex quauis causa, vt supra dictum est, relaxata fuerint, vel eorum partem, arbitrio ipsius Congregationis pertinentium, & per eos quocumque titulo habitorum, & quouis modo tentorum, & possessorum, realem, actualem, & corporalem possessionem nomine Camera Apostolica capi, & retineri, ad commodum tamen, & vtilitatem eorumdem creditorum, per mensem dumtaxat immediatè sequentem à die capte possessionis, à qua die omnis ipsorum Principum, Ducum, Marchionum, Baronum, seu Domicellorum, & aliorum prædictorum iurisdicção, & illius exercitium atque administratio penitus cesset & cessare debeat, ita quod ipsi non possint per se vel alios in Ciuitatibus, Terris, Castris, Casalibus, Palatiis, & aliis locis, & bonis prædictis sese ingerere, aut aliquo pacto intrinicare, sed illorum iurisdicção & administratio penes dictam Congregationem, seu personas ab ea deputandas remaneat, omnino curent, & re ipsa præstent.

Elapso mense Ciuitates & bona eorum subhastanda proponant, & absque expensis plus offerenti deliberent.

§. 4. Quo mense elapso, Ciuitates, Terras, Castra, Casalia, Palatia, & alia bona huiusmodi subhastanda proponant, & plus offerenti, omnia penitus omni alia solennitate, & sine solita etiam subhastatione, & deliberatione per manus Cursum, seu alias fieri confueta, & absque illarum expensis, præuia dumtaxat vnus editi per dies quindecim in locis publicis affixione, ad deliberationem plus offerenti, cum cedula bancharia idonei Mercatoris, seruata tamen quoad personas quæ Ciuitates, Terras, Castra, & alia bona huiusmodi emere voluerint, forma Constitutionis fel. record. Sixti Papæ V. prædecessoris nostri, super prohibitione alienandi Castra, & alia bona stabilia in statu Ecclesiastico existentia sine Sedis Apostolicæ licentia, & aliis personis quam vassallis eiusdem Status, deueniant, illasque & illa deliberent, & vendant, ac instrumentum, vel instrumenta quacumque, & alia desuper necessaria, & opportuna, obligando etiam personas Principum, Ducum, Marchionum, Baronum & Domicellorum prædictorum, & bona eorum pro euicção, etiam in forma eiusdem Camera Apostolicæ celebrent, & celebrari faciant.

Pretium inde reductum creditoribus consignari faciant.

§. 5. Ac pretium inde redigendum, in satisfactionem dictorum creditorum, iuxta eorum anterioritatem, & potioritatem, recepta prius ab eis iurium cessione, ad fauorem emptoris, & si eidem Congregationi visum fuerit, præstita etiam ab ipsis idonea cautione, seu facta obligatione de eodem pretio restituendo prioribus, & potioribus, ad omne mandatum sui Iudicis consignent, & consignari faciant.

Cam. Apost. inter oblatores admittatur.

§. 6. Inter oblatores autem Camera Apostolicam seu eius Commissarium, si offerre voluerit, ad offerendum admittatur.

Oblatore non reperto Camera adiudicet pro pretio æstimando, & ipsa creditoribus satisfaciat.

§. 7. Sed si intra dictos quindecim dies nullus oblator reperitur, tunc Congregatio prædicta Ciuitates, Terras, Castra & alia bona prædicta eidem Camera

nostræ Apostolicæ adiudicet, liberet ac vendat; & ipsa Camera nostra Apostolica, præuia æstimatione per vnum vel plures æstimatores ab ipsa Congregatione deputandos, pro illo pretio, quod æstimatum fuerit, illas, & illa pro se accipere debeat, & de dicto pretio omnino supradictis eorum creditoribus satisfacere teneatur.

Subhastatio eadem & deliberatio fiat, si extrajudicialiter consisterit, Montem vel censum Baronis non fuisse debito tempore extinctum, aut fructum non solutos, vel alia per eum promissa non impleta.

§. 8. Declaramus autem, si inter dictos creditores reperiantur aliqui, qui occasione quorumvis, tam Montium, quam censuum, intuitu ac contemplatione ipsorum Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, & Domicellorum, vel eorum auctorum, & prædecessorum supradictorum, creditorum, & impositorum respectiue creditores fuerint, & quibus de fructibus idcirco debitis hactenus integrè satisfactum non erit, vel in futurum non satisfiet, in præmissis eum seruari debere modum & ordinem, vt capta summaria informatione, etiam extrajudiciali, per dictam Congregationem de lapsu temporis, & de satisfactione non secuta, absque vlla, vt dictum est, causæ cognitione ad subhastationem, deliberationem, venditionem & ad iudicationem supradictarum Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, & bonorum pretio, vt supra æstimando, modo & forma prædictis, & vltius ad extinctionem dictorum Montium, & censuum, ac satisfactionem dictorum fructuum, vsque ad diem dictæ extinctionis decursorum, ipsa congregatio omnino deueniat. Idemque seruari volumus, & mandamus, quod illos Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones & Domicellos, qui licet dictos fructus suo tempore quotannis soluerint, supradictos tamen Montes, vt præfertur, erectos, vel census impositos, & venditos intra tempora in erectione ipsorum Montium, aut in impositione, & venditione censuum fideiussoribus promissa, vel alias conuenta non extinxerint, aut in futurum debitis temporibus non extinguant, seu etiam alia pacta in eisdem Montium erectionibus & censuum impositionibus, & venditionibus apposita, & aliis conuenta, seu in quibuscumque contractibus, in quibus, seu quorum vigore dicti Barones, & Domicelli, aut eorum auctores, seu antecessores debitores existunt, ad dicta non adimpleuerint, vel non obseruauerint, aut in futurum non obseruabunt, siue adimplebunt, in toto vel in parte ipsa Congregatio eos ad dictorum Montium, & censuum integram extinctionem, & debiti solutionem, ac creditorum satisfactionem, etiam dies totius Montium, & censuum extinctionis, vel debiti solutionis non aduenerit, cogat & compellat.

Fideicommissa, &c. hac non impediunt.

§. 9. Volumus etiam, & pari motu, ac potestate decernimus, Principes, Duces, Marchiones, Barones, & Domicellos supradictos, seu illorum quoscumque pro tempore successores, subhastationem, deliberationem, venditionem, & adiudicationem, & alia prædicta impugnare, impedire vel retardare non posse, nec aduersus ea aliquo modo se tueri, aut pro illorum renouatione quocumque tempore instare, etiam ea ratione, vel prætextu, quod ipsi in Castris, & bonis prædictis sint hæredes cum beneficio legis, & inuentarij, vel non succedant illis qui debita prædicta contraxerunt, sed quod loca, & bona supra dicta ex antiquis inuestitis, concessionibus, fideicommissis, donationibus, vel ex contractibus etiam ex causa dotium, vel quacumque alia de iure priuilegiata consecuti fuerint, vel ad ea vocati sint, mandataue à Iudicibus fuerint tantummodo decreta, seu relaxata contra bona hereditaria illorum qui debitum huiusmodi contraxerunt, dicta bona quouis titulo & modo tenuerint, & possederint, seu quod ipsi Barones

Barones & Domicelli simili modo illa teneant & possideant, aut ex eo quod creditores ex causa Montium & censuum restitutionem sortis principalis petere non possint, se à fideiussione eximi: quibus, & aliis quibuscumque allegationibus, seu subterfugiis non obstantibus, ad executionem nihilominus subhastationis, & deliberationis, & aliorum pramissorum supradictarum Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, & locorum deueniri omnino debeat, illaque robur perpetuæ firmitatis fortiantur, & obtineant.

Illisque plenissime derogatur.

§. 10. Ut autem pramissa omnia, & singula ad fauorem omnium creditorum prædictorum statuta, & disposita, statim sine vlla mora, aut aliquo impedimento executioni demandari possint, omnibus, & quibuscumque inuestituris, concessionibus, donationibus, fideicommissis, primogenituris, & alienandi prohibitionibus, necnon pactis de succedendo, tam in contractibus, quam in vltimis voluntatibus purificatis, & purificandis super Ciuitatibus, Terris, Castris, Casalibus, Palatiis, & aliis bonis immobilibus huiusmodi, per quoscumque ascendentes, seu collaterales, ac penitus extraneos, ac forsan ipsos etiam Romanos Pontifices prædecessores nostros, etiam Motu proprio, & consistorialiter emanatis, & sub quibusvis clausulis, vinctis & cautelis quomodolibet factis, & confirmatis, quorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, ac etiam regulæ nostræ de non tollendo iure quaesito motu, scientia, & potestate similibus, plenissime ac latissime derogamus, ac derogatum esse volumus.

Aliaque bona libera Baronum dictis fideicommissis supposita censeantur.

§. 11. Quod si forsan iidem Principes, Duces, Marchiones, Barones & Domicelli aliqua alia bona stabilia nulli inuestituræ, concessioni, donationi, fideicommissio, primogenituræ, vel alienandi prohibitioni, aut pacto de succedendo, aliisque prædictis subiecta, vel aliàs immunita, & exempta & libera quoquo modo possederint, nos pari motu, & auctoritate eadem bona inuestituræ, concessioni, donationi, fideicommissio, primogenituræ, prohibitioni, & pacto prædictis in locum bonorum venditorum prædictorum in omnibus, & per omnia subiicimus, substituimus, & subrogamus, & per eandem Congregationem, secuta venditione prædicta, subiici, substitui & subrogari debere decernimus & mandamus.

Clausula sublata.

§. 12. Declarantes nihilominus Ciuitates, Castra, & bona, sic vt supra vendita & assignata, semper, & quocumque tempore penes illorum emptores, & Cameram præfatam, ac successores eorundem ab omnibus fideicommissis, primogenituris, prohibitionibus, pactis, donationibus, necnon nexibus, oneribus, vinctis, hypothecis, obligationibus, ac aliis prædictis libera, & semper exempta remanere debere, ita vt nullo vnquam tempore prætextu prædictorum fideicommissorum, primogeniturarum, prohibitionum, pactorum, donationum, nexuum, onerum, vinculo- rum, hypothecarum, obligationum, vel successionum, tam ex testamento quam ab intestato, emptores, Camera & successores prædicti molestari, seu inquietari quomodolibet possint, saluis tamen responsionibus, canonibus, censibus ratione directi dominij, seu cuiuslibet alterius superioritatis, occasione dictorum bonorum eidem Camera debitis.

Si de pretio quid supererit, inuestiatur vt hic.

§. 13. Caterum volumus, & eidem Congregationi pariter mandamus, vt si ex pretio bonorum vigore præsentium vendendorum aliquid solutis debitis supererit, id quod supererit, si bona vendita alicui fideicommissio, prohibitioni vel alteri cuiuscumque oneri, seu

vinculo subiecta esse constiterit, in aliorum bonorum stabiliū, vel locorum Montium non vacabiliū, quæ eidem fideicommissio, prohibitioni, oneri, & vinculo in locum bonorum venditorum omnino subiaceant, conuerti curent, & faciant, eorumque fructus singulis annis in aliorum similium bonorum vel locorum Montium emptionem inuestiri debere declarent, & cum effectu inuestiri faciant, donec ad valorem, & summam bonorum venditorum ascenderint: quæ pariter omnia fideicommissio, prohibitioni, oneri ac vinculo huiusmodi, in omnibus, & per omnia, prout bona vendita huiusmodi antea erant, subiecta existant. Si verò bona eadem vendita nulli fideicommissio, prohibitioni, seu oneri & vinculo obnoxia fuerint, Congregatio ipsa partem quæ supererit ex pretio huiusmodi, solutis debitis, vt præfertur, ipsis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Baronibus & Domicellis, solui & assignari faciant.

Castra per Cameram sic emenda non comprehenduntur per triennium sub Bulla Pij V. quæ est 35.

fol. 166. tom. 2.

§. 14. Ciuitates verò, Terras, Castra & loca iurisdictionalia per Cameram Apostolicam in vim præsentium emenda, & acquirenda in constitutione sel. rec. Pij Papæ Quinti prædecessoris nostri, de Ciuitatibus, Terris, Castris & locis S. R. E. non infeudandis, per triennium à die illarum venditionum computandum, minimè comprehendi debere declaramus.

Clausula sublata.

§. 15. Decernentes sic & non aliter in pramissis omnibus & singulis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Cameræ prædictæ Præsidentes, Clericos, S. R. E. Camerarios, necnon eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuiuslibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula contrariorum derogatoria, & sanctio penalis.

§. 16. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac legibus municipalibus Vrbis, necnon Ciuitatum, Terrarum, Castrorum & locorum supradictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis ac inuestituris, etiam in remunerationem, aut ex quavis alia causa onerosa, aut ex contractu, erectionibus dignitatum, aliisque quibusvis concessionibus, dictis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus & Domicellis, sub quibuscumque verborum formis & tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & irritantibus ac aliis decretis in contrarium pramissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis & innouatis, necnon fideicommissis, ac vltimis voluntatibus, donationibus, pactis quorumcumque, aliisque pramissis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis & ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat, & ad effectum omnium, & singulorum pramissorum specialiter, & expresse, ac latissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis
Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimosexto,
septimo Kal. Iulij, Pontificatus nostri anno 5.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini 1596. indiſt. 9. die verò ul-
tima menſis Iunij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Pa-
tris, & D. N. Domini Clementis diuina prouidentia Pa-
pe VII. anno 5. retroſcripta littera Apoſtolica affixa,
& publicata fuerunt in valis Baſilicarum Principis Apo-
ſolorum, S. Ioannis Lateran. ac in acie Campi Floræ, vt
moris eſt, per nos Catherinum Menandi, & Petrum Aloy-
ſium Peregrinum Curſores

Proſper Spada Mag. Curſ.

PAULI V. B. LII.

Contra mulieres ingrediendi Monasteria Mo-
nialium licentiis abutentes.

Hic idem Pontifex huiusmodi licentias vsque tunc conceſ-
ſas reuocauit ſui Pontificatus anno 8. vt infra in
conſt. 74. Monialium, vbi notabo.

S. D. N. Urbanus VIII. declarauit, quod conſen-
ſus Monialium, ſine quo mulieres ſeculares licen-
tiis ingrediendi Monasteria vti non poſſunt, ex-
preſſe, capitulariter, & per ſecreta ſuffragia præſtan-
dus ſit, in conſt. 29. Sacroſanctum, inf. tom. 4.

PAVLVS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

Facultatum plura Monasteria Monialium ingredien-
di abusus tollere volentes.

Declaratio circa vsum licentiarum.

§. 1. Tenore præſentium ſtatuiſmus & ordinamus,
quod nulla perſona cuiuſcumque gradus, ſtatus &
conditionis, ac præminentie exiſtat, etiamſi Ducali,
Marchionali, aut alia dignitate præfulgeat, vigore li-
centiarum plura Monasteria, domos, & loca Monia-
lium pluribus vicibus ingrediendi, etiam absque clau-
ſula (in totum, ſeu in vniuerſa, non autem in eorum
aliqua, vel ſingula) à Nobis, vel prædeceſſoribus no-
ſtris Romanis Pontificibus, ſub quouis tenore, vel for-
ma, etiam motu proprio conceſſarum, & expeditarum,
aliqua vel ſingula Monasteria pluribus vicibus ingredi
poſſit, ſed licentia huiusmodi reſpectu vniuerſorum,
non autem aliquorum, vel ſingulorum Monasteriorum
ſuffragentur, ita vt cui bis in anno, ſeu amplius plu-
ra Monasteria ingredi conceditur, bis, vel amplius
tantum vniuerſa, non autem eorum aliqua, vel ſin-
gula ingredi liceat, etiamſi prædicta Monasteria in
diuerſis Ciuitatibus, Terris, Diœceſibus, & locis exi-
ſtant.

Pœna abutentium.

§. 2. Iſdemque mulieribus aliter quàm vt præfer-
tur eadem licentias interpretari, vel illis vti, ſub cen-
ſuris & pœnis à Concilio Tridentino, & Apoſtolicis
conſtitutionibus intra ſepta Monasteriorum Monia-
lium absque licentia ingredientibus inſtitutis, ipſo facto
incurrendis, eadem auctoritate prohibemus.

Claus. derog.

§. 3. Præmiſſis & aliis quomodolibet in contrarium
facientibus quibuſcumque non obſtantibus.

Fides tranſumptorum.

§. 4. Volumus autem vt harum litterarum exemplis
etiam impreſſis & manu alicuius Notarij publici ſub-

ſcriptis, ac ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccle-
ſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorsus fides adhi-
beat, quæ ipſiſmet præſentibus adhiberetur, ſi fo-
rent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo
Pſcatoris, die 1. Septembris 1608. Pontificatus no-
ſtri anno quarto.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti 1609.
Indiſt. 7. die verò 11. menſis Febr. Pontificatus autem
Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Pauli diuina
prouidentia Papa V. anno 4. retroſcripta littera Apoſtolica
affixa, & publicata fuerunt ad valas Principis Apoſto-
lorum, Cancellaria Apoſtolica, in acie Campi Floræ, &
aliis locis ſolitis & conſuetis Vrbis per me Dominicum de
Rubeis Sanctiſſ. D. N. Papa Curſ.

Pro Magiſtro DD. Curſ. Franciſcus de Bonis Curſ.

PAULI V. B. LXXIV.

Reuocatio omnium licentiarum Monasteria
Monialium ingrediendi, aut cum eis conuer-
ſandi, mulieribus hætenus conceſſarum.

*Ad hanc materiam vide conſt. 28. Greg. XIII. Vbi
gratiæ, lib. 2. vbi notant.*

Vide quæ de hac materia addidi ſup. ad huius Pauli
Conſt. 52. facultatum.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Monialium ſtatui, quæ ſecularia deſideria abne-
gantes, Dei obſequio ſeſe addixerunt, paſtorali
ſollicitudine conſulere cupientes, ad ea remouenda,
quæ religioſam earum quietem, & regularem obſer-
uantiam perturbare dignoſcuntur, curam noſtram li-
benter intendimus, provt in Domino conſpiciamus ſa-
lubriter expedire.

*Reuocatio licentiarum ingrediendi Monasteria Monia-
lium mulieribus ſecularibus conceſſarum.*

§. 1. Quoniam itaque, ſicut accepiſimus, experien-
tia compertum eſt, non leuia incommoda licentias in-
grediendi Monasteria Monialium mulieribus ſeculari-
bus conceſſas, dictis Monialibus inferre: Nos malis
huiusmodi opportuno remedio prouidere volentes,
Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, deque Apo-
ſtolice poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulas licen-
tias ingrediendi Monasteria Monialium vbique locorum
exiſtentium, ac cum Monialibus conuerſandi, & refe-
ctionem ſumendi corporalem mulieribus cuiuſcumque
ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentibus, etiam Mar-
chionali, & Ducali dignitate fulgentibus, ſub quibuſ-
cumque verborum formis & tenoribus, ac cum qui-
buſvis etiam derogatorijs derogatorijs, aliſque for-
tioribus & efficacioribus, ac inſolitis clauſulis, necnon
irritantibus decretis, ad tempus vel in perpetuum à
prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, & etiam
à Nobis conceſſas, quarum tenores, ac ſi de verbo ad
verbum infererentur, præſentibus haberi volumus
pro expreſſis, Apoſtolica auctoritate tenore præſen-
tium reuocamus, caſſamus & irritamus, ac reuocatas,
caſſas, & irritas eſſe decernimus.

Pœna vtentium licentiis.

§. 2. Inhibentes mulieribus prædictis licentias hu-
iuſmodi habentibus, ſub excommunicationis lætæ ſen-
tentie pœna, à qua non niſi à Nobis, ſeu Romano
Pontifici